

tate, connaturalis dispositio est, et connexa cum justificatione.

CXX. Unde Concilium Tridentinum sess. xiv, cap. iv, dicit: « Contritionem præparare ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, et voto præstandi reliqua conjuncta sit. » Et loqui videtur Concilium de contritione ut antecedit formationem gratiæ; nam postea in eodem capite incipit agere de contritione charitate formata, in illis verbis: « Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contigerit, etc. »

CXXI. Ratio vero hujus est, quia omnis dispositio, et contritio antequam sit charitate formata, est in subjecto peccatore, et compatitur cum peccato, etsi jam illud incipiat detestari: omnis autem dispositio quæ compatitur cum peccato, pro ea parte et ratione qua cum illo compatitur, non potest habere connexionem per se cum gratitudine subjecti in ordine ad Deum, quia quamdiu homo est in peccato, est Deo abominabilis: ergo contritio pro ea parte qua gratiam antecedit, et cum peccato compatitur, adhuc est in subjecto Deo abominabili: ergo non habet connexionem per se et naturaliter ut tale subjectum sit gratum, et acceptum Deo, sed ex misericordia Dei debet fieri.

CXXII. Et præterea, quia illa contritio ut sic non est perfecta satisfactio pro offensa Dei, cum hæc sit infinita: ergo ex se non habet sufficientem connexionem ut gratiam, et remissionem offensæ obtineat; sed debet favor Dei, et justitia meritorum Christi interponi ut tali contritioni gratia adjungatur, si quidem ex se sufficiens non est offensam adæquare; adeoque nec remissionem peccati præstare.

CXXIII. Ad confirmationem argumenti principalis respondetur, quod

illa maxima procedit de dispositione requisita in genere physico et naturæ, non in genere morali, qualis est quæ requiritur ex parte liberi arbitrii ad gratiam: Secundo, quod non omnis dispositio requisita ad introductionem formæ, requiritur etiam ad conservationem, plura enim ad introductionem de novo requiruntur; sicut sine igne non fit cibus, qui tamen sine illo conservatur; et sine igne non calefit aqua, quæ sine illo conservat calorem; ac denique multas videmus requiri dispositiones et accidentia quando res fit, sine quibus postea conservari non repugnat.

CXXIV. Tertio objicies: Nam in sacra Scriptura, tota justificatio hominis attribuitur Deo, et homo comparatur ad ipsum ut: *Lutum in manu figuli*: unde et: *Gratiam Deus operatur in nobis sine nobis*: ergo ex parte nostra dispositio non requiritur.

CXXV. Confirmatur, quia posita efficaci motione Dei disponentis hominem, non potest ipse non moveri ac disponi: ergo non libere se movet, si quidem causa libera est, quæ positus omnibus requisitis ad agendum, potest agere et non agere: ergo quacumque efficaci motione posita, poterit non moveri ac disponi; hoc autem supposita efficaci Dei motione est impossibile: ergo talis dispositio ex Dei motione efficaci non congruit libere dispositioni hominis ad sacramenta.

CXXVI. Respondetur, quod tota justificatio Deo attribuitur ut efficienti, homini vero ut mobili se etiam moventi, ex ipsa elevatione et efficientia Dei. Unde diversis rationibus attribuitur homini et Deo; Deo, ut auctori et elevanti ad suam participationem hominem; homini autem ut cooperanti et suscipienti et assentienti. Sic enim suscipit

homo a Deo, ut etiam se moveat, et agat in finem; et in ipsum, a quo movetur et convertitur. Et ideo dicitur tamquam: *Lutum esse in manu figuli*, quantum ad hoc quod quidquid habet homo, recipit a Deo movente et perficiente, sicut quidquid habet lutum in ordine ad efformaturam vasis, suscipit a figulo; non tamen quantum ad hoc quod homo nihil omnino agat motionem istam recipiens, quippe qui dissentire possit, ut dicit Concilium; lutum autem nihil omnino agit suscipiens efformationem illam, quippe qui dissentire non potest, et ideo non suscipit ut agat sicut homo: *Deus autem operatur in nobis gratiam sine nobis*; vel quantum ad infusionem gratiæ si sumatur pro habituali gratiæ vel quantum ad immissionem primi auxilii et sanctæ cogitationis, quod nullo modo est a nobis, non tamen sine nobis. Unde etiam licet non justificet nos a nobis, non tamen sine nobis, quia moveri nos oportet ad Deum.

CXXVII. Ad confirmationem respondetur, quod stante efficaci motione, non stat non moveri hominem libere, hoc est, in sensu composito; stat tamen non moveri necessario, et hoc est in sensu diviso, quia videlicet illa motio efficax est ratio et actualis ut moveatur homo, non quomodocumque, sed libere: unde non solum dat moveri et agere illa motio, sed etiam modum agendi: unde sensus divisus non debet dividere materiam a potentia, nam motio illa etiam causa est ratioque libertatis: unde illa stante, libertas actuatur, ac juvatur, non minuitur. Sensus autem compositus, est cum ipsa motione, non in ordine ad modum agendi, qui est liber, sed in ordine ad actum oppositum, et substantiam actus, quia non stat fieri oppositum actum stante illa motione, sicut nec stante

actu opposito; non tamen propterea fit ille actus non libere, sed omnino libere.

CXXVIII. Et ideo non stat illa posita motione non fieri actum oppositum quantum ad infallibilitatem, non tamen quantum ad necessitatem, et modum agendi. Unde licet homo possit facere oppositum ad quod movetur, quia tali modo movetur ut in oppositum possit ex vi modi agendi, non tamen potest frustrare Dei motionem, quia cum omnimoda infallibilitate quoad substantiam datur, sine ulla tamen necessitate quoad modum agendi: et ideo cum potentia ad opposita.

CXXIX. Quarto arguitur contra id quod dicitur, sufficere virtualement attritionem, seu dispositionem: Nam ut docet S. Thomas 1-2, quæst. cxiii, art. iii, et xxviii de veritate, art. iii: « Adultus non justificatur sine motu, et actu liberi arbitrii, pro ipso instanti justificationis; » ergo non sufficit virtualis contritio, si quidem tunc non movetur liberum arbitrium, nec habet actum.

CXXX. Confirmatur, quia si sufficeret virtualis dispositio, posset homo cum peccato veniali actuali accedens ad sacramentum justificari; consequens est impossibile: ergo. Sequela patet, quia peccatum veniale non tollit virtualement dispositionem, sicut nec virtualement intentionem accedendi ad sacramentum. Falsitas consequentis patet; tum, quia iste sic accedens peccat actu, et indigne et sine reverentia accedit actu: ergo non justificatur actu; simul enim peccare, et diligi supernaturaliter a Deo, videtur repugnans; tum, quia effectus sacramenti mensuratur per actus suscipientis; tunc autem nullum habet actum per quem gratia danda mensuretur: ergo.

CXXXI. Confirmatur secundo:

Quando agens et patiens mutuo se possunt tangere sine contactu non sequitur actio; sed Deus et liberum arbitrium mutuo se possunt tangere mediante actibus: ergo sine illis seu contactu illorum actio non sequitur. Respondetur doctrinam D. Thomæ intelligi de motu actuali vel virtuali; utroque enim modo conversa manet voluntas in Deum. Unde pro instanti justificationis sufficit talem conversionem existere, quam non solum ratione motionis actualis, sed etiam virtualis remanere constat. Verumtamen extra sacramentum, quando quis justificatur ratione contritionis, verum est in ipso instanti justificationis, actum contritionis inesse; nam si justificaretur quando est virtualis contritio, talis virtualis contritio supponit actum contritionis præcessisse; si autem præcessit actus contritionis, eo ipso quo talis actus ponitur, eodem instanti ponitur et justificatio: non ergo datur casus, quo ex virtuali dispositione, aut contritione justificetur quis extra sacramenta; et fortassis sic loquitur D. Thomas in locis allegatis. Quando autem quis accedit ad sacramentum, si habuit dispositionem, sive illa attritio sit, sive contritio, et in instanti susceptionis sacramenti actualiter sit distractus, dummodo sine peccato mortali, sufficienter remanere intelligitur illa dispositio, ut suscipiatur sacramentum, sicut et intentio.

CXXXII. Unde et D. Thomas determinat infra quæst. LXVIII, art. XII: « Amentes et furiosos baptizari posse etiamsi actu contradicant, dummodo quando erant sanæ mentis constet eos voluisse baptizari; » et quæst. LXXIX, art. VIII determinat: « Veniale peccatum non impedire effectum eucharistiæ, qui est augmentum gratiæ, licet impediatur fervorem, quia habet habituales vo-

luntatem manducandi spiritualiter sacramentum: » ergo non requiritur secundum D. Thomam semper actualis dispositio.

CXXXIII. Ad confirmationem conceditur sequela, cum peccatum veniale non sit obex, nec pro effectum sacramenti, qui est gratia; nec pro susceptione sacramenti quæ solum requirit subjectum cum ea dispositione, quæ gratiæ non contrarietur, et quæ non sit indigna susceptio mortaliter, licet sit indigna venialiter. Ad probationem minoris dicitur, quod iste sic accedens peccat quidem venialiter, non tamen peccat contra susceptionem debitam sacramenti, et ita non accedit indigne indignitate mortali, sed veniali, et consequenter neque cum obice, ut non suscipiat fructum gratiæ, quia veniale peccatum non contradicit gratiæ quantum ad substantiam, sed quantum ad fervorem; et sicut non repugnat simul peccare venialiter, et diligere a Deo supernaturaliter habitualiter, quia habitus ipse gratiæ manet in peccante venialiter, sic neque repugnat in sacramenti susceptione peccare venialiter, et accipere gratiam habitualiter, quia sicut peccatum veniale habituali gratiæ non contrariatur, ita nec obex respectu illius.

CXXXIV. Quod autem dicitur, mensurari gratiam sacramenti per actus susipientis, respondetur ita esse, quando tales actus sunt; si autem non sint, mensuratur vel cum habituali dispositione, si dandum sit augmentum gratiæ; vel cum virtuali, si danda sit prima gratia, aut etiam si per illam se disposuit ad augmentum, nec opus est ut cum actuali mensuretur; vel si nulla sit dispositio contritionis non mensurabitur cum illa gratia impendenda, sed ex opere operato infundetur minima quæ potest, quia solum per illam dispositionem obex tollitur,

non vero mensura aliqua ad gratiam dandam apponitur.

CXXXV. Ad secundam confirmationem respondetur, inter agens et patiens (præsertim spirituale) sufficere virtuales contactum; et consequenter virtuales etiam dispositionem ad talem contactum sufficere, cujus virtus manet in susceptione sacramenti, et per illam sufficienter fit contactus.

CXXXVI. Sed adhuc instabis: Si quis velit suscipere sacramentum solum propter vanam gloriam, aut aliud peccatum veniale, ista susceptio est peccaminosa, et non habet aliam voluntatem sacramenta suscipiendi: ergo non habet voluntatem suscipiendi sacramentum debite et religiose: ergo neque sacramenti effectum suscipiet, nam effectus sacramenti datur conformiter, et mediante susceptione ejus: ergo si susceptio est peccaminosa et irreligiosa, non poterat mediante illa effectus sacramenti dari.

CXXXVII. Respondetur voluntatem illam, et si peccaminosa sit, esse tamen liberam et voluntariam sacramenti susceptionem; nec sic contrariam sanctitate sacramenti, aut illi obicem ponere. Et ita habet duas rationes. Una est, voluntariam esse susceptionem sacramenti; altera est, esse præter finem ultimum, et contrariari fervori charitatis. Ratione primi est sufficiens susceptio ut sacramentum det gratiam, quia non est indigna ratione sacramenti indignitate mortali, nec obicem ponendo; et ideo sacramentum habet effectum suum infundendo saltem minimam gratiam ex opere operato. Ratione secundi est peccatum veniale, et indignitas aliqua seu irreverentia, venialis tamen: sed ratione illius non datur effectus sacramenti.

CXXXVIII. Nec dispositio nostra aliter est medium dandi gratiam,

nisi quatenus non sit obex in subiecto ad gratiam habendam ex opere operato, ideoque stante isto non obice cum voluntaria susceptione sacramenti, effectus sequetur.

CXXXIX. Si quærat, a qua virtute et principio eliciatur attritio, respondetur non esse actum virtutis, nec procedere a virtute, sed a motione et auxilio Spiritus sancti. Nec enim attritio est dispositio perfecti ad optimum, sed imperfecta dispositio; contritio autem est perfecta dispositio, et elicitur a virtute infusa pœnitentiæ. Vide magistrum Nugno II tomo super quæstionem supplementi, art. I et II, etc.

CXL. Quinto objicies: Habitualmente peccatum mortale est sufficiens obex ad sacramenti effectum: ergo et sola attritio est insufficientis dispositio. Antecedens patet, quia habituale peccatum pugnat cum effectum sacramenti, qui est gratia; ergo est obex, alias si sufficiens obex non esset, posset homo ad sacramentum vivorum cum sola attritione cognita accedere, et suscipere effectum gratiæ. Consequentia vero probatur, quia attritio non destruit habituale peccatum: ergo stante attritione stat mortale peccatum: ergo stat et obex.

CXLI. Respondetur distinguendo antecedens; habituale peccatum nullo modo detestatum est sufficiens obex ad sacramentum, concedo; habituale peccatum detestatum (etsi non omnimoda perfectione) est obex, nego; et ideo negatur etiam consequentia; attritio enim dicit jam detestatum peccatum, etsi non perfecte; et ideo est sufficiens dispositio pro sacramentis mortuorum, quæ sunt instituta ad dandam primam gratiam, et remissionem peccati; non tamen ad sacramenta vivorum, quæ ex ratione specifica solum causant augmentum; licet si sine contrarietate ad susceptionem

sacramenti vivorum accedatur, dabitur etiam prima gratia: tunc autem sine contrarietate acceditur, quando quis non intelligens se cum dispositione non requisita, seu sufficiente accedere, illud suscipit. Igitur cum detestatio peccati sit motus a peccato ut a termino a quo, jam qui atteritur recedit a peccato, et si non ita perfecte ut ad terminum ad quem accedat, sicut facit contritio; et ideo sufficienter non manet tunc habituale peccatum ut obex ad primam gratiam, si quidem jam receditur ab illo, et si nondum in termino ponatur homo, quousque gratiam habeat; ut tamen non habeat obicem, sufficit jam redere a peccato.

DUBIUM QUARTUM.

UTRUM IDEM SACRAMENTUM SECUNDUM SPECIEM HABEAT SEMPER ÆQUALI EFFECTUM.

Conclusio est,

CXLII. Quod in æqualiter dispositis habet semper æqualem effectum; in dispositis vero inæqualiter diversum habet effectum.

CXLIII. Pro intelligentia hujus conclusionis notandum est, quod loquimur in præsentia de eodem sacramento secundum speciem, quia respectu diversorum specie sacramentorum probabilius est sacramentum excellentius conferre majorem et excellentiorem gratiam. Loquendo autem de sacramento ejusdem speciei, potest dupliciter intelligi quod conferat majorem, aut diversam gratiam, uno modo, quia sit diversa aut inæqualis gratia sacramenti, non ex se, et ut procedit a sacramento; sed ut conjuncta cum ea, quæ præcesserat in subjecto, ut, verbi gratia, si unus accedit cum

gratia aut contritione ut duo, et alius cum contritione ut quatuor; iste cum adjuncto sacramento reportabit gratiam ut quinque, alius vero gratiam ut tria, quæ quidem inæqualis gratia est, non tamen ut a sacramento procedit (quia sic solum est unus gradus) sed ut dispositioni adjungitur.

CXLIV. Alio modo potest intelligi, quod inæqualis gratia detur diversimode disposito, quia videlicet, ab ipso sacramento inæqualis etiam gratia procedit respectu inæqualiter dispositi, ut in casu posito illi qui accedit cum contritione ut quatuor, dat ex opere operato gratiam ut quatuor, ut sic cum dispositione, qua accedit, duplo majorem reportet a sacramento; videlicet et ratione dispositionis, et ratione operis operati. Unde si quis cum gratia ut mille accederet ad sacramentum, haberet gratiam ut duo millia, et si iterum accederet, reportaret ut quatuor millia, etc.

CXLV. Ex quo fit, quod cum habitualis dispositio sit sufficiens pro sacramentis vivorum (ut dictum est) posset aliquis habens gratiam habitualement per frequentationem sine aliquo actu augere mirabiliter gratiam, ita ut in intra unum aut duos menses computari non posset talis gratia, cum crescat illo computo, qui vocatur *de la cernina*: sicque consultius esset hominibus (etiam sine aliquibus virtutum actibus) soli sacramentorum frequentatiæ insistere, nec de aliis virtutibus ita curare, cum ibi tantum gratiæ augmentum habeant, quod in virtutum operibus nequaquam habebunt. Imo etiamsi pluries peccent, dummodo pluries resurgant, et sacramenta frequentent, immensum cumulum gratiæ consequentur, etc.

DESIDERANTUR ALIQUOT LINEÆ, QUAS SUPPLERE RELIGIO FUIT, AUCTORIQUE SUPPONERE.

CXLVI. Explicatur autem sic conclusio: Quoniam omnis effectus qui procedit ab aliquo agente, vel determinatur ab ipso agente, vel a dispositione materiæ, in quam agitur. Et ab agente quidem, quia omne agens agit per formam suam, cui assimilari debet effectus, et oportet ab eo determinari effectum quoad speciem, et quia instrumentum non agit per formam, sed per motionem, ideo non debet assimilari instrumento, sed principali moventi. Quoad modum autem majoris vel minoris perfectionis intra eandem speciem, cum illud agens quod movet instrumentum (seu sacramentum) sit infinitæ virtutis, et ex se possit in majorem ac majorem effectum prodire, quantum est ex parte ejus non est accipienda mensura effectus.

CXLVII. Solum ergo oportet determinare hunc effectum ex promissione Dei alligata sacramento, vel ex dispositione ejus, qui ad tale sacramentum accedit. Promissio autem Dei facta sacramento, seclusa dispositione suscipientis est una et determinata; nec enim indeterminatum effectum illi potest promittere: aut enim esset infinitus, aut nullus: quorum utrumque falsum, cum et constet dari effectum seclusa dispositione suscipientis (ut in parvulis) et constet etiam illum esse determinatum, et non infinitum. Igitur ex promissione Dei facta sacramentis habent aliquam gratiam dare seclusa dispositione; et hæc debet esse certa et determinata: et cum promissio illa ex parte Dei facta illi sacramento sit una et æqualis, æqualem quoque semper effec-

tum habeat, seclusa dispositione; nec est fundamentum ut dicamus pro arbitrio Dei dari majorem gratiam uni quam alteri per idem sacramentum, et cum æquali dispositione accedentibus.

CXLVIII. Ex quo fit, quod alia etiam sacramenta, quando sine dispositione sibi debita et per se requisita, aut cum æquali dispositione recipiuntur, æqualem quoque effectum præbent ex opere operato, et promissione Dei: nam cum sacramenta habeant dare gratiam non potentibus obicem, ut Concilia definiunt, necessarium est ut etiamsi actualis dispositio hominis non sit, sed sola habitualis, aut etiam non sit dispositio sufficiens ex se, sed tamen non ponatur obex, quod sacramenta illa effectum aliquem causent in subjecto, eumque determinatum, et hunc dicimus esse minimum, quem sacramenta dare possunt ex opere operato, sicut est minima gratia quam dat baptismus parvulis, crescit enim ex dispositione suscipientis. Igitur quando sacramentum sumitur sine cooperante dispositione subjecti, æqualem semper effectum habet ex opere operato, sive alias habitualiter sit homo jam in gratia, sive non.

CXLIX. Quod autem quando homo per cooperationem suam se disponit, majorem etiam gratiam consequatur ex opere operato sacramento correspondente illi dispositioni probatur, quia Tridentinum citatum definit: « Unicuique dari gratiam a Deo juxta dispositionem et cooperationem suam: » ergo gratia quæ datur in sacramentis ex opere operato, debet etiam distribui a Deo juxta mensuram dispositionis, et cooperationis uniuscujusque, ut patet in sacramentis mortuorum, quando quis ad ea cum sola attritione accedit: tunc enim si inæqualiter attriti æqualiter justifica-